Fragmentarium

…fecerat. Quis enim fecisse credatur, quod quis
perfecit, Deus in illo prodidisse dicatur. Tam ineffa
bili quam incomprehensibili sacramento. Ut autem
sciatis quia sicut in illa singulari Trinitas est
in personis, unitas in substantia, sic in illa
speciali commixtione Trinitas est in substan
tiis, unitas in persona. Et sicut ibi personae
non scindunt unitatem, ita et hic persona non
confundit substantias, nec substantiae
ipse personae dissipant unitatem. Summa
illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem,
opus mirabile, opus singulare inter omnia et
super omnia opera sua. Verbum enim et anima
et caro convenerunt in unam personam. Et haec
prima mixtura inter tres. Adverte homo
quia limus es, et non superbus; quia Deo iunctus
es, et non sis ingratus. Secunda virgo est et virgo
mater, admirabilis et singularis. A saeculo
non est auditum quod virgo esset quae peperit,
quod virgo esset quae virgo permansit. Numquam
iuxta rerum ordinem virginitas ubi fecun
ditas praedicatur, nec fecunditas ubi virgi
nitas integra conservatur. Sola haec est
in qua virginitas et fecunditas convene
runt sibi. Ibi semel factum est quod fac
tum non fuerat nec fiet in aeternum, quia nec
primam similem visa est nec habere sequentem.
Tercia est fides et cor humanum. Et haec
quidem prima et secunda inferior, sed non minor
forsitan. Mirum est enim quomodo cor huma
num fidei his duobus accommodavit, quo
modo credere potuit quod homo Deus esset, quod virgo
mansisset quae peperisset. Sic ferrum
et testa iungi non possunt, sic nec haec
duo queunt commisceri si non misceat glu
tinum Spiritus Dei. Ergone credendum est quod
ille Deus sit qui ponitur in praesepio, qui vagit in
cunis, qui omnium infantulorum necessita
tum iniurias patitur, qui flagellatur, qui conspui
tur, qui crucifigitur, qui ponitur inter duos latro
nes, qui in sepulchro clauditur, excelsus et
immensus? Quia ne virgo erit quae lactat
puerum, cui maritus continuus comes est
in omnino thalamo, qui ducit illam in
Egyptum et reducit ab Egypto, et solus
cum sola tam longinquam tam secretam con
ficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi
generi humano universo [illegible]
Et tamen tam facile tam potenter persuasum est,
ut in hoc credibile faciat credentium
multitudo. Iuvenes et virgines senes
cum iunioribus elegerunt mille mortibus
mori, quam vel ad momentum ab ista fide
deficere. Et haec quidem mixtura excellens,
sed excellentior secunda est, excellentissima
tercia. Primam auris audivit, sed oculus
non vidit, quia auditum est et creditum usque
in fines terrae magnum illud pietatis sa
cramentum, sed tamen o Deus oculus non vidit
absque te, quomodo te intra virginei ven
tris angustias humano corpori con
iunxisti. Secundam oculus vidit, quia se
fecundam et virginem illa singularis
regina conspexit, quae conservabat omnia
verba haec conferens in corde suo. Cognovit
et Ioseph non minus testis quam custos
tantae virginitatis. Tercia in cor hominis
ascendit, cum quod factum est creditum est, cum
magis oraculo quam oculo creduntur, cum
quae dicta sunt vel facta tenentur firmissi
me nullatenus dubitantes. In prima in
de quod, in secunda per quod, in tercia propter quod Deus de

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1502, f. [4]v – Bernardus Claraevallensis, <i>Sermones</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rlkx/7360/59198)